

Heinrich Müller Ulrich Sandhorst

## **De Versionibus Bibliorum Graecis Et praecipue LXXII. Seniorum Dissertatio**

Rostochii: Kilius, 1662


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740033859>**

Druck Freier  Zugang



Rh. Med. 1662

Heinrich Müller ba  
Kort v. Ulrich Sandknot



I. N. D. N. J. C.

*De*

VERSIONIBUS  
BIBLIORUM GRÆCIS

Et præcipue

LXXII. SENIORUM

Dissertatio,

*Quam*

PRÆSIDE

HENRICO MÜLLERO,

Theol. D. Prof. Ord. & ad Div. Mariæ

Archidiacono

*Publice tuebitur*

ULRICUS Sandhorst, Frisius,

In Auditorio Majori

D. XII. April. Anno M DC LXII.

---

ROSTOCHII,

Literis JOHANNIS KILII, Acad. Typog.

VERSIO

EX LIBRIS

EX LIBRIS

EX LIBRIS

EX LIBRIS

EX LIBRIS

EX LIBRIS

EX LIBRIS

EX LIBRIS

EX LIBRIS

EX LIBRIS

EX LIBRIS

(1.)



I. N. D. N. J. C.

DE

VERSIONIBUS BIBLIO-  
RUM GRÆCIS

*& præcipue*

LXXII SENIORUM

*Dissertatio.*

I.



Agna est ut Linguarum , sic  
Versionum varietas, quibus  
mysteria sua hominibus de-  
lectabiliter communicare  
dignatus est DEUS. In hoc  
certe sapientiæ divinæ abys-  
sus detecta erat, ut qui pri-  
mo per varias linguas infa-  
nos Babelis structores diffi-  
pavit, ipsosque in varias ter-  
ras dispersit, idem per variarum linguarum *χαρισμα-  
τα* Ecclesiam suam ex omnibus terris colligeret, do-  
mumque suam iisdem machinis ex lapidibus vivis æ-

A

di-

dificaret. At cessantibus post jacta Ecclesiæ fundamenta his charismatibus, necessarium erat Oracula divina in linguas vernaculas propagari. Hinc varias in primæva Ecclesia versiones factas legimus. Augustinus scribit, *Scripturam divinam ab una lingua profectam, quæ oportune potuerit per orbem terrarum disseminari, per varias linguas longe lateq; diffusam innotuisse gentibus ad salutem.* Theodoretus testatur, Hebraicos libros non modo in Græcum idioma conversos, sed in Romanam quoque linguam, Ægyptiam, Persicam, Indicam, Armenicam & Scythicam, atq; adeo Sauromaticam, uno verbo, εἰς πάσας τὰς γλώττας, αἷς ἀπαντα τὰ ἔθνη κερχηθῆσα διατελεῖ. Chrysostomus Versionum meminit Syriacarum, Ægyptiacarum, Indicarum, Persicarum, Æthiopicarum, & aliarum nationum Barbararum. Hieronymus dicit, *Scripturam in variarum gentium linguas translata esse.* Ipse utrumque Testamentum transtulit in linguam Dalmaticam, sic sentiente Hosio. (a) Chrysostomum Pfalmos & Testamentum N. in Armenam vertisse, fatetur Sixtus Senensis. (b) Versionis Psalmorum in linguam Punicam, meminit Augustinus. (c) Cyrillus, vel (ut alii) Methodius in Slavonicam scripturam transtulit, teste Aventino. (d) Ulphilas Gothorum Episcopus, primus literarum Gothicarum inventor, εἰς τὴν οἰκείαν Φωνὴν μετέφρασε τὰς ἑβραϊκὰς βίβλους, referente Sozomeno, (e) & Socrate. (f) Beda in Anglicam, teste Joh. Trevisano. Michael Adam Judæus conversus in Germanicam, teste Sixto Senensi. (g) Johannes Sevilix Episcopus in Arabicam. Valdo Episcopus Frisingensis Evangelia Germanice transtulit, teste Beato Rhennano. Italice Jacobus de Voragine, Archiepiscopus Genuen-

lib. II. de  
doctr. Christ.  
c. 5.

lib. V. de cu-  
rand. Græc.  
affect.

Homil. I. in  
Joh. c. I.

Pref. in Ev-  
ang. ad Da-  
masum.

(a) lib. de  
Sacr. vern.  
legendo.

(b) lib. VI.  
annot. 151.

(c) in Psal.  
CXVIII.

(d) l. IV. An-  
nal.

(e) l. VI. c. 37.

(f) lib. IV. H.  
Eccles. c. 33.

(g) lib. IV.

nuenfis. *polonice* Hieronymus Lebpol. *Gallice* Carolus V. Rex Gallia.

II. Versiones vero omnes enumerare non est animus: saltem Græcas quæ exstant vetères, & ex recentioribus præcipuas, nominasse satis erit.

III. Prima omnium & antiquissima inter Græcas est insignis illa LXII. Seniorum (vulgo LXX. numero rotundiore vocamus,) ex Hebræo in Græcū sermonē traducta, sub Ptolomæo Philadelpho, Ægypti Rege, Anno ante Christum CCLXVI, vel ut alii, CCLXXVII. Quanta fuerit versionis hujus in primæva Ecclesia auctoritas, dici vix potest. Certe à Judæis illa in Synagogis, à Christianis fere sola, vel ex ea factæ versiones, in Ecclesiis publice perlegebantur. Ex illa reliquæ versiones omnes ab Ecclesia antiquitus approbatæ (sola excepta Syriaca,) traductæ sunt, viz. Arabica, Æthyopica, Armena, Illyrica, Gothica, Latina vetus ante Hieronymum. Illam Patres & Theologi, tam Græci, quam Latini, commentariis illustrarunt, & in scriptis ubique citarunt; Ex illa veritatem doctrinæ probarunt, errores & hæreses profligarunt, vitæ & disciplinæ regulas hauserunt. Meminere illius Justinus, (a) Irenæus, (b) Tertullianus, (c) Clemens Alexandrinus, (d) Athanasius, (e) Hilarius, (f) Eusebius, (g) ut Cyrillum Alexandrinum, Basilium, Theodoretum, Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum & alios nunc omittam. Illam in Conciliis tam provincialibus, quam generalibus sanctissimi Patres adhibuerunt, ita ut Philastrius scribere non dubitaverit, (h) quod hanc Ecclesia Catholica legat, colat, prædicet, alias autem, ut *superbæ canes* & tantæ editioni contrarias contemnat. Multi

- (a) Apol. II.  
 (b) l. III. c. 25  
 (c) Apol. c. XVIII.  
 (d) lib. I. Strom.  
 (e) Synops. Script.  
 (f) Præfat. in Ps.  
 (g) l. VII. de præp. Ev. c. 1.  
 (h) Hæres. 39. 40.



tanquam divinam & speciali Spiritus S. afflatu apparam prædicarunt. Augustinus; (i) *Merito creduntur LXX. Interpretes accepisse spiritum Propheticum, ut si quid ejus auctoritate mutarent, atq; aliter quam erat, quod interpretabantur, dicerent, neq; hoc divinitus esse dictum dubitaretur.* Maximum vero auctoritatis pondus illi Versioni accedit, quod Christo & Apostolis in usu fuit, qui pleraque testimonia, quæ ex Vet. Testam. proferunt, secundum eam citant. Unde Irenæus; (k) *Apostoli, cum sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpretationi, & interpretatio consonat Apostolorum traditioni: Illi etenim Prophetica omnia ita enunciarunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet.* Per illam Ecclesia ubique terrarum Christo primum acquisita, ejusque lacte sacro enutrita: Unde Chrysostomus (l) eam vocat *ostium ad Christum.* De valore hujus Versionis consule præterea, si placet, Cyrillum Hierosolymitanum (m) & Epiphanium (n).

IV. Sane eousq; progressi sunt veteres, ut, excepto Hieronymo, fere omnes infallibilitatem his Interpretibus & in vertendo errandi *ad vana piar* attribuerint, sicut ex supra citatis locis clarum est. Inter recentiores idem sentiunt Bellarminus, (a) Baronius, (b) Morinus, (c) d' Espeires, (d) & alii, quorum postremus Vates eos fuisse asserit, Mosis & Prophetis haut dissimiles, & exinde concludit, authenticam fuisse illorum Versionem, & ne in minimo erroneam, imo adhuc authenticam esse: cum tamen in quibusdam nō tantum diversa, sed omnino contraria habeat tum textui Hebræo, qui sine dubio est authenticus; tum Vulgatæ Latinæ, quam ipse pro authentica habet.

Cer-

(i) *lib. XV. de Civ. D. c. 23.*

(k) *lib. III. c. 25.*

(l) *Homil. 68. in Joh. 9.*

(m) *Catech. V.*

(n) *lib. de Pond. & mens.*

(a) *de V. D. l. II. c. 6.*

(b) *ad Ann. C. CCXXXI.*

(c) *Exerc. Bibl. VI. c. I.*

(d) *Tract. II. disp. I. dub. 10.*

Certe in Historia versionis apud Aristeam expresse dicitur, *Interpretes inter se contulisse, disputantes & conferentes inter se de re qualibet donec tandem in unum omnes convenerint.* Si contulerunt, non prophetarunt. Sacri namque scriptores, prout à Spir. S. edocti erant, sine ulla collatione, disquisitione aut mora, scriptis omnia mandarunt. Præterea si Sp. S. afflati scripserunt, ad quid tantus numerus, cum hic unus sufficiat? Quid opus viris doctrina claris & linguarum peritis, si sine studiis & auxiliis humanis confici res debuit? Et qui Spiritus sibi ipsi contrarius? Penitius hæc considerans Joh. Morinus (e) fateri cogitur; *Auctoritatem aliam non adscribendam censemus huic versioni, quam aliis industria humana factis.* Sed de hoc infra.

(e) Exerc.  
VII. c. 4.

V. Nunc de aliis Versionibus Græcis, à quibus & quando confectæ: Circa annum Christi CXXX. Aquila, gente Ponticus, urbe Sinopæus, ex Christiano factus Judæus, & Rab. Akibæ, Christiani nominis hostis infensissimi discipulus, sub Adriano Imperatore Versionem Græcam apparavit, quã veterum alii laudant, carpunt alii. Epiphanius vult, (f) illum ex odio Christianæ religionis, testimonia de Christo, quantum potuit, corrupisse. Hieronymus ipsum *Hebræorum verborum interpretem curiosum & diligentissimum* appellat. (g) Augustinus affirmat, Judæos Aquilam interpretem cæteris ante ferre. (h) Post hunc *Symmachus*, natione Samaritanus, dehinc Judæus & circumcisis, mox Christianus, postremo Ebionita hæreticus, ut ex Epiphanio liquet, quo eo feliciter Samaritanos populares suos, à quibus ad Judæos confugerat, confutaret, sub Severo Imperatore, ut refert Athanasius, (i) vel, ut alii, sub Lu-

(f) lib. de  
pond.

(g) Epist.  
138 & in  
Hof. II.

(h) lib. XV.  
de C. D. c. 23.

(i) In Synops.

(k) *Epist. 89.*

cio Vero, novæ translationi se accinxit. Tertiam imperante Commodo conflavit *Theodotion*, Ephesius, ut Athanasius vult, vel Pontico, ut Epiphanius, qui à Marcionis hæresi ad Judaïsmum se contulit. Unde ab Hieronymo *homo Judæus & blasphemus* audit. (k) Hic, quia medium inter Aquilam & Symmachum, adeoque temperatum scribendi genus & ex utroque mixtum elegit, cæteris præferri capit, tum apud Origenem, qui in Hexaplis, quæ ex Hebræo in LXX. decrant ex Theodotione supplevit; tum ab Hieronymo, qui in Psalmorum libro à se castigato obelis & asteriscis appositis Theodotionem in emendatione LXX. secutus est; tum ab Ecclesia, quæ Danielelem ex Theodotionis versione publice legit. Cæterum hi omnes in iis, quæ Christum & christianam Religionem spectant mysteriis, nullam fere fidem merentur. Nam *Judaïzantes hæretici*, ut inquit Hieronymus, (l) *multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt*. In reliquis, ut ex iis quæ supersunt fragmentis liquet, ad verum sensum eliciendum non parum profunt.

(l) *Prefat. in Job.*

VI. Præter has tres duas alias sine autorum nominibus in doliis repertas esse seculo III, unam ad Hierichuntem, Antonio Caracalla Rege, alteram prope Nicopolim Epiri, sub Alexandro Severo, ex Epiphanio, Hieronymo, Eusebio & aliis habemus: quas, quia auctores incerti essent, *Quintam & Sextam* appellarunt. Hieronymus præter *Quintam & Sextam*, meminit etiam *Septimæ* editionis. (m) Idem facit Eusebius. (n) Hanc tamen septimam, non novam aliquam versionem fuisse, sed Luciani Martyris editionem docemur ex Epiphanio, Athanasio, Theodoro, qui cum editione

(m) *in Catalog. script. Eccl.*  
(n) *lib. VI. Hist. c. 12.*

tiones numerarint, præter Lucianeam illam Septimam nullam agnoscunt. Sixtus Senensis (o) aliarum Versionum Græcarum meminit, quas confecere Eusebius & Patroclus, quod probare annitur ex Socrate (p) & Sozomeno. (q) Sed hi nihil aliud dicunt, quam Eusebium Emisenum Scripturæ intelligentiam à Patrophilo & Eusebio Cæsariensi hausisse, dum libros sacros explicarent. Editionum tamen Versionis τῶν LXX plurium mentio apud veteres ubique occurrit, ut Origenis, Luciani Martyris, Hefychii, Eusebii Pamphili; quas quidam per errorem pro novis versionibus habuere, cum tantum veteris versionis recensiones fuerint.

(o) lib IV. Bibl.

(p) l. I. Hist.

(q) l. II. c. 6.

VII. Primus *Origenes*, cum in Editionem, qua tunc *Καὴν* seu *Vulgata* dicebatur, errata quædam irreperisset advertisset, ex Bibliotheca Alexandrina, ubi genuinum Cleopatrarum exemplar (& ut quidam sentiunt, Ptolomæi Autographon,) asservatum erat, Versionem Græcam descripsit, & collatis plurimis optimisque exemplaribus, magno labore, puram LXX. Editionem exhibuit. Et ut ex aliarum Versionum collatione plus utilitatis ad Ecclesiam redundaret, primo tres illas, Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, una cum illa τῶν LXX. per columnas singulis paginis disposuit, sic ut uno intuitu lector omnes inspicere & conferre posset: quæ volumina propter quatuor columnas & Versiones *Tetrapla* appellavit. Postquam etiam Linguae Hebraicæ cognitionem assecutus esset, textum Hebræum, characteribus tum Hebraicis, tum Græcis, addidit; unde *Hexapla* nominata. Tandem post

(a) Epist. ad  
Africanum.

post repertam Quintam & Sextam versionem, & ipsas cum reliquis disposuit, ac Octapla nominavit, De his suis laboribus ita scribit Origenes; (a) *Excussi omnes omnium editiones, & omnes varietates, ut collata varietate translationum, intelligerem LXX. translationem, & illius sensus sacros eruerem. Non enim fuit consilium cudere, quicquam, quod discreparet à scriptura in Ecclesia Catholica recepta, neque volui ansam dare iis qui querunt occasiones, ut res receptissimas cavillentur, & communem sententiam Ecclesie Catholicae damnent.* De hoc præclaro opere ita scribit Hieronymus;

(b) in Cap.  
III. Epist. ad  
Titum.

(b) *Nobis cura fuit, omnes veteris Legis libros, quæ vir doctus Adamantius (ita propter magnos labores vocatus Origenes,) in Hexapla digesserat, de Cesariensi Bibliotheca descriptos ex ipsis authenticis emendare. In quibus & ipsa Hebræa propriis suis characteribus verba descripta, & Græcis literis, tramite è vicino; Aquila item & Symmachus, Septuaginta & Theodotion suum ordinem tenent. Nonnulli vero libri, & maxime hi, qui apud Hebræos versu compositi sunt, tres alias Editiones additas habent: quas Quintam & Sextam & Septimam translationem vocant, auctoritatem sine nominibus consecutas. Hoc immortale illud ingenium suo nobis labore donavit.*

VIII. Cum autem omnium non esset, magna hæc volumina sibi comparare, aliam Editionem elaboravit Origenes solius Versionis τῶν ὀ, cui asteriscos & obelos apposuit: obelos quando reperit, quæ cum in Hebræo non exstarent, in Græco erant; asteriscos, quando quæ in textu Hebræo erant, in Græco vero nō, ex Theodotione supplevit. Quæ Editio, ut facile parabilis, Augustino teste, mox omnes Bibliothecas implevit. At nec suis caruit detractoribus. Hieronymum in-  
pri-

primis iniquum habuit censorem, qui per asteriscos & obelos ipsum Græcam Editionem corrupisse scribere non veritus est. (c) Quam tamen calumniam à se abstergit Origenes, scopum suum Jul. Africano per Epistolam sincere aperiens his verbis; *Quedam notavimus, quasi non posita in Hebræo, non audentes ea auferre; quedam autem cum asteriscis addidimus, ut sit manifestum, quoniam, quæ non fuerant posita apud LXX. ex Editionibus cateris addidimus convenienter Hebræo.*

(c) *Præfat. l. in Paralip.*

IX. Post Origenem *secunda* prodiit Editio, quæ fuit *Eusebii & Pamphili*. Sed hæc alia non erat, quam ipsa LXX. Versio Origenis, à mendis, quæ irreperant, castigata, teste Hieronymo *l. c.* Hanc excepit Editio *Luciani*, presbyteri Alexandrini & Martyris: Sed nec hic de novo transtulit, saltem emendavit, teste Hieronymo (d) & Eusebio (e) *Quarta* fuit *Hesychii*, Episcopi Ægyptii, in persecutione decima Martyrio coronati. Hic veterem translationem recognovit, novam non curavit, testibus iisdem. De tribus his Editionibus Hieronymus; *Alexandria & Ægyptus in LXX. suis Hesychium laudant auctorem; Constantinopolis usq. ad Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probant; Media inter has provincie Palæstinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus edulgarunt; totusq. orbis inter se hac trifaria varietate compugnat.*

(d) *Præf. in IV. Evang.*  
(e) *lib. VIII. Hist.*

*l. c.*

X. Editionibus hisce antiquis recentiores ut annectamus, Quatuor eæ in primis sunt, à quibus reliquæ derivantur. *Prima* est *Complutensis*, quæ opera Theologorum Complutensium, Anno M D XV, sumptibus & auspiciis Cardinalis Ximenii Archiepiscopi Toletani, una cum Textu Hebraico, Chaldaica para-

B

phra-

phraſi Pentateuchi, & vulgata Latina, per columnas ſibi ex adverſo reſpondentibus, prodiit; Anno M D LXXI. Bibliis Regiis ab Ar. Montano inſerta; An. M D XCIX. Typis Commelianis in Bibliis, quæ Vatabli nomine vocantur, recuſa; deniq; Anno M DC XLV in magno illo opere Pariſiano Heptaglotto, D. Michaelis de Jay, excuſa. Cl. Maſius de Editione hac præſens dat iudicium; (f) *Mera eſt inſcitia ſi quis dicat Complutenſem Editionem puram LXX. verſionem repræſentare. Licet enim viri iſti docti huius Editionis auctores, Origenem aliqua ex parte ſibi imitandum propoſuerint, ut quæ in Hebræo eſſent, & non in LXX, ex alia verſione ſupplerent: in hoc tamen ab Origenis inſtituto diſceſſerunt, quod quæ apud LXX. habentur, & non ſunt in Hebræo, quæq; Origenes non tollere auſus eſt, ſed obelo notavit, ipſi ſæpe reſecuerint, & delectu habito, collatisq; exemplaribus non modo Bibliorum, ſed & Græcorum commentatorum, ubi varia eſſet lectio (quod frequentiffime evenit) eam probarent, & retinerent, non quæ LXX. Interpretum fuiſſe conſtabat ſed quæ ad Hebræicum propius accederet, etiamſi eſſet Aquila, Symmachi, vel alterius cuiusq; Interpretis: Hoc ipſorum conſilium ut non damno, (rationes enim fortæſſe quasdam habuere, cur hoc ſibi proponerent) omnino tamē non ad editionem LXX Interpretum conſtituendā, ſed ad novam potius ex multis excudendam videtur pertinere.*

XI. Editio ſecunda eſt Veneta, quam ex multis vetuſtiſſimis exemplaribus Andreas Aſulanus excudi curavit Anno M D XIIX. De hac idem Maſius; (g) *Veneta Editio eſt quidem ſimplicis interpretationis LXX. Seniorum exemplum, ſed haud ab omni admixtione verborum Theodotionis liberum. Ab hac parum diſcrepare Baſileenſem primam per Andream Cratandrum pro-*  
cu-

(f) Annot.  
in Joſ. XXI.

(g) Præfat  
comm. in  
Joſ.

curatam Anno M D XX; Argentoratensem, apud Wolffium Cephalæum in octavo, anno M D XXVII; Basileensem secundam, typis Hervagianis, cum Præfat. Melanchtonis; Basileensem tertiam Græco-Latinam per Nicolaū Brylingerum in octavo, anno M D L; Francofurtensem, per Wechelianos in fol. ex recensione, ut putatur, Francisci Iunii, anno M D XCVI; testis est Vir omni laude major Brianus Waltonus. (h)

XII. *Tertia est Romana, quæ ex Codice MS. Vaticano antiquissimo opera Anton. Carafæ Cardinalis, aliorumq; virorum doctorum, qui per 9. annos in ea defudarunt, auspiciis & jussu Sixti V. Pontificis, prodiit. Primo Græce tantum edita cū Scholiis Græcis, Romæ, anno M D LXXXVII. Postea Latine cum egregiis notis per Flaminium Nobilium, etiam Romæ, anno M D LXXXIIX. Tandem Græcam editionem cum Latina cōjuxit, versuum etiam distinctione juxta Vulgatam latinam adhibita, & tam Græcis scholiis, quam Nobilii notis ad finē cujuslibet capituli appositis Joh. Morinus, eamq; Parisiis excudi curavit, an. M DC XXVIII. Audiamus ipsorum Auctorum de hac editione Judicium. Carafa in Præfat. Scopus noster non erat, ut ex interpretationum, aliarum permixtione Latina vulgata vel Hebræo respondeat: sed ut ad eam, quam LXXII. Interpretes ediderunt, quantum per veteres libros fieri posset, proxime accedat. Nobilius; (i) Multis modis constat, aliqua admista ex aliis interpretationibus, & nonnunquam ex margine quadam in textum irrepisse. Morinus; (k) Editio hæc omnium quæ nunc exstant est maxime sincera, & à mendis ac perturbationibus expurgatissima; & ad primogeniam illam proxime accedit &c. Hæc epitheta (Germana, sincera) rei ficta, adulterina & supposititia oppo-*

(h) *Tract. de Vers. Græc. præc. LXX.*

(i) *in notis ad Reg. 3. c. 3.*

(k) *Diatrib. part. 1. c. 12.*



nuntur, non autem mendis aut labeculis adpersa. Sinceram dicunt esse & ad puram LXX. Editionem proxime accedentem, sed non ex omni parte perfectam.

XIII. *Quarta est Anglicana seu Londinensis, quæ ex vetustissimo MS. Alexandrino nuper prodiit, & Bibliis Polyglottis, opera Briani Walthoni apparatus, inserta est, imprimente Londini Thoma Roycroft, an. M DC LVII. De hac ipse (1) Waltonus istiusmodi fert iudicium; Alexandrinum dicimus Codicem nostrum, non tam quod ex recensione Hesychii fuerit, à quo exemplaria per Alexandriam & Ægyptum secundum ipsius codicem castigata emanarunt; quam quod ex Alexandria primum allatus sit per Cyrillum Lucærem, nuper sedis Alexandrina Patriarcham, qui cum ad Constantinopolitanam translatus erat, hunc librū tanquam magnum thesaurum secum attulit, quem per D. Tho. Roe Equitem auratum Regis nostri apud Turcarum Imperatorem legatum, eidem Regi donavit. Exaratus est hic liber in Pergameno literis majoribus antiquis, sine ulla capitum, versiculorū, vel verborum distinctione, & sine accentuum vel spirituum notis, &c. Descriptus est hic liber Alexandria, per Theclam, feminam nobilem, cujus nomen (jam obliteratum) ad finem libri olim inscriptum fuisse testatur idem Cyrillus. Quamvis hac Thecla fuerit, nolo anxie inquirere. Quamvis istius nomine martyrium pro Christo subisse, constat ex Orat. Chrysostomi in laudem S. Theclæ: at an ab hac sancta femina Codex hic scriptus fuerit, an ita dicatur, quia ad Monasterium aliquod S. Theclæ dicatum pertinebat, non multum refert, cum constet, antiquissimum esse, & Codicis Vaticanus seculum equare saltem, si non superare: quod suadent tum scriptiois modus, characterum figura, accentuum & spirituum absentia; tum alia, que summam vetustatem testantur: ut cum frequenter ponunt*

cu pro

(1) l.c. §. 34.

eu pro e, αρεσεν pro αρεσεν: & contra e pro ai, ut Φυλαξε pro  
 Φυλαξαι: ad eundem modum scribunt i pro ei, μ pro υ; & v du-  
 plex pro simplici: que fortuito scribæ errori non imputanda,  
 cum ubiq; per totum codicem reperiantur. Ad finem libri ex-  
 stant Epistolæ duæ Clementi Romano adscriptæ, quarum prima  
 est ipsissima Clementis S. Pauli discipuli, veteribus decantata,  
 que in Ecclesiis quibusdam olim publice cum Scripturis præle-  
 cta erat, ut argumentis insitis probat Grotius ad Gallos. Epist.  
 CV. Hanc post mille annos, cum periisse credebatur, in lucem  
 revocavit ex hoc MS. Patrius Junius, eamque cum Versione  
 Latina publicavit. Altera lacerata est & imperfecta, quam  
 etiam cum priori edidit D. Junius Græce tantum. Grotio  
 primi seculi esse videtur, & antè constitutum Ecclesiarum  
 consensu scripturæ Canonem scriptam fuisse: & licet Clemen-  
 tis nomen præ se ferat, alterius tamen Clementis esse antiqui  
 judicarunt. Inter Vaticanum & Alexandrinum consensus  
 magnus in plerisq; observatur, licet in minutis quibusdam  
 subinde differant. Discrepantia invenitur maxime in pro-  
 priis nominibus, in quibus inter omnes libros antiquos discrimen  
 sæpius occurrit. Hæc tamen non efficiunt, ut non sit ve-  
 ra & genuina Versionis LXX. exemplar, prout apud antiquos  
 Ecclesiæ Patres exstabat. Mixtam enim editionem non esse,  
 probant additamentorum Theodotionis sub asteriscis absentia,  
 & eorum, que obelo notata sunt, præsentia: & cum Hiero-  
 nymi aliorumq; commentariis, locisq; ab antiquis citatis vel  
 explicatis consensus: Unde & in singulis paginis una cum  
 Romana excudi curavimus, ubi scil. à Romana differt, ut  
 hoc modo Lector utrumq; exemplar inter se melius conferre  
 posset, & duo antiquissima & nobilissima totius Orbis τῶν ἑ  
 MSS. exemplaria uno intuitu conspiceret, &c.

lib. VI. Ob-  
serv. c. 9.

De Punctor.  
Antiq. &  
Orig. part. 1.

lib. VI. c. 17.  
lib. VII.

XIV. Sed ad quæstiones. Quæritur primo; *An, quæ hodie exstat vera & genuina sit τὸν LXX. Versio?* Haud desunt magni nominis Viri, qui negativam strenue propugnant. Audiamus doctiss. Drusium; *Translatio, inquit, ea, quæ vulgo apud Græcos habetur, quin LXX. Interpretum non sit, nemini hodie dubium esse arbitror. Nam si nihil aliud, innumeri in ea loci sunt, qui arguunt magnam imperitiam sermonis Hebraici: sed & negligentiam singularem in legendo, & oscitantiam tantis viris indignam, qui in ea editione non videt, nihil videt. Etsi Eusebius, Hieronymus, passim in suis monumentis eam LXX. Interpretibus attribuerentur. Nos quoque cum aliquid inde proferimus, usitato magis, quam vero nomine utimur, exemplo videl. Hieronymi, quem suspicamur, licet crederet, interpretationem eam à viris illis elaboratam minime fuisse, ne offenderet Græcos voluisse tamen semper recepto nomine appellare &c.* Idem sentit Buxtorffius; *Vel, inquit, dicendum est, hodiernam editionem esse aliam ab illa vetere: vel interpretes illos non fuisse aut tam doctos, ut vulgo laudantur, aut non tam diligentes, aut non fideles, aut aliud spectasse.*

XV. Sed perpendamus argumenta, quæ à viris doctis afferuntur. *Primum* est, quod in multis locis discrepet hæc Versio ab Hebræo. *Secundum* est, quod Palatium illud, quod Ptolomæus pro Gymnasio Alexandria exstruxerat, & in quo ipsa LXX. Virorum Translatio asservabatur, totum combustum sit, cum Julius Cæsar Alexandriam bello oppugnaret, & Pompejum persequeretur, teste Gellio, Orofio & aliis. *Tertium* est, quod LXX. Seniores tantum V. libros Mosis ver-

verterint, cum in Editionibus hodiernis omnes V. T. libros conversos habeamus. Ut alia præteream.

XVI. At argumenta hæc, quamvis speciosa, non sunt tanti ponderis, ut persuadeant doctis, nullam extare hodie versionem LXX. Seniorum. Nam quod *Primum* attinet, non diffitemur, esse in quibusdam discrimen inter fontem Hebræum & Versionem Græcam. Est tamen ea fere in minoribus. Nec mirum, cum constet, non ad verbum vertisse LXX. sed ad sensum subinde respexisse magis, quam ad verba: sicuti Apostoli sæpe, dum loca ex LXX. allegant, Paraphrastas agunt, quædam addendo explanationis gratia, quædam detrahendo, ubi sensus plenus esset sine illis. In multis præterea videntur LXX. à textu Hebræo differre, cum tamen optime conveniant: sæpe enim vox Hebræa varias habet significationes, quarum unam secuti sunt Rabbinus, Hieronymus & alii Interpretes, aliam LXX. Audiatur Cl. Pococcius, qui, *Verba quædam Hebraica*, inquit, (*quæ unam tantum significationem vulgo putantur habere, eo quod in Bibliis solis habemus reliquias lingue Hebraica*) aliam possunt significationem habere, prout LXX. reddiderunt: quæ non tantum ex textu Hebræo & loci circumstantiis erui potest, sed & ex Versionibus antiquis, (quarum auctores vixerunt temporibus, quibus Judæorum res & lingua magis flourerent, & facilius hæc addisceretur,) quales præcipue Græca LXX. & Chaldaica; & ex Rabbinis, qui in hac lingua, quam à teneris unguiculis statim addiscunt, exercitatisimi sunt: & quod ad verba attinet, non parum eis tribuunt Christianorum cordatiores; & tandem ex vicinarum linguarum collatione, Syriacæ, Chaldaicæ & Arabicæ:

In Append.  
Port. Mos.  
c. I. II. III.

Di-

Discrepantiæ etiam multæ ortæ sunt ex Scribarum incuria & festinatione, qui ut citius penum absolverent, mendas plurimas reliquerunt; aliæ ex audacia, & temeritate sciolorum natæ sunt, qui sub specie corrigendi textum corruerunt; aliæ ex glossæ in margine ex aliis exemplaribus annotatis in textum postea migrarunt; aliæ ex interpretum lapsu, quos ut homines in aliquibus errasse, dubitandum nullatenus est. Denique ex Codicum etiam Hebræorum varietate discrepantias quasdam fluxisse certum est: Judæorum enim scribas privilegium ἀναμαρτησίας habuisse, nulla ratio suadet. Conferatur Doctissim.

Critic. l. IV. Capellus. *Secundum* argumentum facile quisque retundet, si noverit, tempore conflagrationis illius infinita fuisse exemplaria inter Judæos ubique dispersos, qui hanc versionem publice in Synagogis legerunt. Simili argumento probari possit, nulla extare hodie sincera Vet. & Nov. Testam. exemplaria, quia omnes codices originales perierunt, & à multis seculis nullibi exstarunt. Argumentum *tertium* variis iisque sat validis rationibus refutat Clar. Waltonus. Certe præter Hieronymum ( qui tamen & dubitanter loquitur, & sibi ipsi non semel contradicit, ) tota Antiquitas præter Pentateuchum etiam alios libros sacros LXX. Seniorum studio ac labori attribuit. Nec Evangelistæ & Apostoli ex Pentateucho solo, sed & ex Prophetis & Hagiographis loca secundum Versionem Græcam allegant, quam præter τῶν LXX. ante Christi tempora nullam extitisse aliam ex Historia certum est. Et quæ causa movere Ptolomæum

maum potuisset, ut qui omnes per totum orbem libros conquireret, solos (præter legem,) sacros negligeret? Ut taceam varia, quæ contra Thalmudis auctoritatem ex ipsis Rabbinis in medium afferri possent testimonia.

XVII. Negare tamen nolim, Codices Græcos hodiernos suos navos habere, & pro omnium librorum antiquorum fato, sordes quasdam contraxisse, per frequentes descriptiones, & exemplarium per totum orbem dispersionem, jam per annos fere MM, à quo primum apparata est hæc Versio. Fatetur enim Nobilius, Versionis hujus Scholiastes, quod *post Hieronymi ætatem, librorum primum, deinde Typographorum inscitia & impudentia, confusis variis interpretationibus alienoq; loco positis, membrisque laceratis, & luxatis, dictionibus sæpe contaminatis, liber ille, qui nascenti Ecclesie bonæ obstericis, crescenti nutricis officium præstiterat, non solum exiguo cum fructu, sed cum magno dolore sit lectus. Imo ipse Hieronymus suo tempore; Si, inquit, LXX. Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superfluum, Chromate Episcoporum sanctissime atq; doctissime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, & nascentis Ecclesie roboraverat fidem, justum erat etiam nostro silentio comprobari; nunc vero, cum pro varietate regionum, diversa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaq; translatio corrupta sit atq; violata, &c.*

XVIII. Quæritur secundo; *Qua sit Versionis hujus auctoritas, & Quid ei tribuendum?* Quid Antiquitas fere omnis hic senserit, supra dictum est: *Αὐθεντία* nimirum & infallibilitatem ei tribuisse, ex allegatis constat.

Præf. ad Ed.  
dit. Lat.  
Rom.

Præf. in l.  
Paralip.

stat. Solus Hieronymus, sui quasi oblitus, contra-  
ria interdum hac de re scripsit, & secum ipso confi-  
ctatus est. Contra Neoterici omnem ei auctorita-  
tem derogant, quos inter multi sunt Viri haud vul-  
gares, Drufius, Casaubonus, Witakerus, Buxtorffius  
& alii.

XIX. Nos media incedentes via, quæ tutissima esse  
creditur, aliam auctoritatem Versioni Græcæ non  
tribuimus, quam humanam, & quæ aliis Versionibus  
convenire existimatur: persuasi interim, prærogati-  
vas eam multas præ reliquis Versionibus habere, ut-  
pote quod sit omnium antiquissima, à Viris pluribus,  
iisque selectis, linguarum peritia & probitate conspi-  
cuis, non sine speciali providentiæ divinæ ductu con-  
fecta; adeoque, etsi navos non paucos contraxerit,  
ob canitiem tamen ipsam veneranda: quod à Judæis  
ubique terrarum dispersis publice & privatim perle-  
cta: quod ab Apostolis & Evangelistis citatione mul-  
torum locorum quasi consecrata: quod per illam  
inter gentes Ecclesia genita, ejusque lacte enutrita:  
quod illa ipsa & Versiones ex ea apparatus per tot se-  
cula Ecclesiæ usurpatæ: quod à Patribus & scriptori-  
bus ecclesiasticis antiquis commentariis illustrata,  
populoque in Homiliis exposita; atque adeo maxi-  
ma pars Theologiæ per eam veluti canalem ad nos  
derivata: quod per hanc doctores Ecclesiæ exorien-  
tes hæreses jugularunt, Concilia etiam celeberrima  
non tantum veritatem divinam contra hæreses con-  
firmarunt, sed & canones ad mores formandos ex ea-  
dem hauserunt.

XX. Concludo verbis Cl. Walthoni; *Nihil de cathedra hic definitio, sed omnia Lectoris equi iudicio subiectio: Et licet sententiam hanc probabiliorē iudico, paratus tamen, si quis argumenta meliora pro contraria attulerit, iis non refragari.*

## QUAESTIONES.

I. An liber Aristæ, qui Versionis τῶν δ quasi fons habetur, supposititius sit? (a) In Aug. de Civ. l. II. c. 24. Ita sentiunt Ludovicus Vives, (a) Leo à Castro, (b) Salmeron, (c) & maxime Josephus Scaliger. (d) At nos negamus. (b) Proæm. in Esaiam. (c) Proleg. VI.

II. An Versio τῶν LXX. Græcas inter prima omnium fuerit? Negant Clemens Alexandrinus, (e) Eusebius, (f) Execretioribus Bellarminus (g) & Serarius (h) At nos Affirmamus. (d) Ad ann. Euseb. 1730. (e) l. I. Strom. (f) lib. IX. præp. c. 3. (g) lib. II. de de V. D. c. 5. (h) Proleg. c. XVI. q. 2.

III. An in diversis cellulis singuli τῶν LXXII Regis mandato inclusi fuerint, ut veritatē interpretationis ex omnium consensu cognosceret? Affirmant, excepto Hieronymo cum paucis aliis, omnes



mnes fere antiqui Ecclesiæ Doctores.  
Sed nos negamus.

- (i) *Dial. cum Tryph.*  
(k) *l. III. c. 24.*  
(l) *de hab. Mul. c. III.*  
(m) *In Hof. IX, 12.*  
(n) *In Psal. XXII.*  
(o) *in Vi&. cont. Jud. p. 1. c. 2.*  
(p) *in Psal. XXII.*  
(q) *Loc. I. II. c. 13.*  
(r) *de opt. gen. Int. l. 1. c. 2.*  
(s) *Prol. in Esa.*  
(t) *in Prol. IV*  
(u) *In Recog. V. T.*  
(x) *Anal. l. VIII. c. 5.*  
(y) *Proleg. c. II. qu. 2.*  
(z) *Controv. l. 1. c. 9.*
- IV. An LXX. Seniores libros, quos Apocryphos vocamus, etiam transtulerint? Sic opinatur non nemo, At nos negamus.
- V. An Judæi accusari possint, de corruptione Textus Hebraici voluntaria? Ita sentiunt ex veteribus Justinus, (i) Irenæus, (k) Tertullianus: (l) Ex Recentioribus Lyra, (m) Paulus Burgensis, (n) Porchetus, (o) Nebiensis, (p) Melchior Cano, (q) Wilhelmus Lindanus, (r) Leo Castrius, (s) Alphonsus Salmero, (t) Augustinus Steuchus, (u) Gregorius de Valètia, (x) Nicolaus Serarius, (y) Gordonius, (z) & alii. Rectius tamen ab aliis docetur, Textus originarios non esse à Judæis vel aliis studiose corruptos, sed in omnibus, quæ ad fidem & mores spectant, puros ac integros..

# COROLLARIA RESPON- DENTIS.

## I.

Valde imprudens est Beza, quando in prima sua N. Testam. editione, verba illa Act. II, 27. τὴν ψυχὴν μου, vertit, *sadaver meum.*

## II.

Rectius dicitur contradictoria non posse fieri à Deo, quam Deum ea non posse facere.

## III.

Haud satis accurate à nonnullis asseritur, DEUM velle peccata permissive.

## IV.

Lucæ XIV, 18. in verbis ἀπὸ μίας perperam Hebrais-  
mus fingitur.

---

**A** Scendis Cathedram. Tibi cura est Versio Sacrum  
Librorum. Doctis das genii specimen.  
Laudo Conatus, Sophia pranobile Germen  
Sandhorsti. Sequitur Gloria. Perge modo.

Cum acclamatione votiva

f.

M. HERMANNUS Becker /  
Phys. & Met. Prof.

---

**D**um Docte SANDHORST, intime  
Amice, Magno Præside,  
VIRO DEI Sanctissimo,  
Fautore nostro Maximo,  
Conscendis ultrò publicum,  
Nostri Roseti pulpitem,

Tuum

Tuum petitem adimpleo  
Et vota pro metris fero:  
*Adsit Tuis TER-OPTIMUS  
DEUS piis conatibus,  
Ut largus hinc in optimam  
Fructus redundet patriam!*

Cum benedictione benignissimi JESU  
amplissima scrib.

M. DANIEL PARSCHITIUS,  
Ungarus.

---

Quanta tibi fuerit Musarum Cura, patescit,  
Edere, MULLERO Praeside, dum specimen  
Niteris, & docto tibi themata suscipis ore  
Tutanda: Hinc merito digna brabeia precor.

*Humanissimo ac literatissimo Dn Respondenti Conter-  
raeano ac amico suo optimo, haec l. mg.  
scrib. raptim*

HUGO VON MUNTZBRUCH.


---

Scire tuum nihil est, nisi, te scire hoc, sciat alter,  
Est veneranda sacri Regula nota Fori.  
Næ, SANDHORSTI, igitur laudem, applausumq; mereris,  
Qui niteris genii signa referre tui:  
Tentabisque aciem, mentis data dona secutus,  
Ut merere PIO Doctus ovare Duce;  
Ut tua suspiciant alii pia munera mentis,  
Decantentque DEUM, haec dona sibi que rogent.

*Hæc Conterraneo suo Integerrimo  
Sub Duce admodum Reverendo, felicissime  
militanti cum voto accinebat*

Godefridus Becker.







verterint, cum in Editione  
libros conversos habeant.

XVI. At argumenta  
sunt tanti ponderis, ut  
extare hodie versionem  
*Primum* attinet, non dif-  
discrimen inter fontem He-  
cam. Est tamen ea fere  
rum, cum constet, non a-  
ad sensum subinde respex-  
sicuti Apostoli sæpe, dum  
phrastas agunt, quædam  
tia, quædam detrahendo  
ne illis. In multis præ-  
Hebræo differre, cum t-  
sæpe enim vox Hebræa  
quarum unam secuti sunt  
lii Interpretes, aliam LX  
qui, *Verba quædam Hebræica*  
*significationem vulgo putant*  
*habemus reliquias lingue He-*  
*tionem habere, prout LXX.*  
*ex textu Hebræo & loci circum-*  
*Versionibus antiquis, (quarum*  
*quibus Judæorum res & lin-*  
*hac addisceretur,) quales præ-*  
*ca; & ex Rabbiniis, qui in hac*  
*statim addiscunt, exercitatis sin-*  
*non parùm eis tribuunt Christi-*  
*vicinarum linguarum collationem*

ernis omnes V. T.  
præteream.

vis speciosa, non  
doctis, nullam  
rum. Nam quod  
se in quibusdam  
Versionem Græ-  
ribus. Nec mi-  
vertisse LXX. sed  
quam ad verba;  
CX. allegāt, Para-  
xplicationis gra-  
is plenus esset si-  
tur LXX. à textu  
me convenient:  
significationes,  
Hieronymus & a-  
r Cl. Pococcius,  
*que unam tantum*  
*quod in Bibliis solis*  
*n possunt significa-*  
*qua non tantum*  
*ui potest, sed & ex*  
*xerunt temporibus,*  
*rerent, & facilius*  
*LXX. & Chalda-*  
*à teneris unguiculis*  
*od ad verba attinet,*  
*tiores; & tandē ex*  
*aldaica & Arabica:*  
Di

